

TRACTATUS VII.

De Sacramentis in genere, & tribus prioribus in specie.

Post considerationem eorum, quæ pertinent ad mysteria Verbi incarnati, considerandum est de Ecclesiæ Sacramentis, quæ ab ipso Verbo incarnato efficaciam habent. *S. Thom. 2. 2. q. 60.*

PARS I.

De Sacramentis generatim.

SECTIO I.

De nomine, & notione Sacramenti.

PRINCIPIA.

1. Sacramenti nomen in ea, quæ Catholici illud usurpant, significatione, frustra cavillati fuere Carolstadius, Zwinglius, Calvinus, aliique.

Quæ nos Sacramenta, illi maluerunt dicere *Signa, & Pægyida, Sigilla, signacula.* Vid. Bell. de Sacr. Lib. 1. Cap. 7.

2. Habet illud fundamentum in Scripturis, præsertim in Hebraicis, & Græcis fontibus.

Sacramentum à sacrando, & initiando, dicitur à S. Aug. de Civit. Lib. 15. Cap. 26. Magister sentent. in 4. Dist. 1. S. Thom. 1. 2. Q. 102. Art. 5. Cui vocis latinæ respondet græca μυστήριον, à μύω consecro, instituo in sacris, initio. Hebraica מיליין, quæ aliàs quidem impletiones, consecrationem verò significat Exod. 29. v. 22. Levit. 8. v. 33. & alibi sæpè.

3. Atque in vetustissimorum Patrum scriptis.

Vid. Bellarm. *loc. cit.* Et hæc quidem de voce *Sacramenti*: rem verò per hanc vocem intelligimus talem,

4. Quæ sit (1) *Signum, sensibile, & symbolicum*, id est, similitudinem quandam referens, ac significans.

(2) *Rem sacram.* non quancunque, sed etiam *sacramentum*; quæ hominem *sanctum* faciat per gratiam;

(3.) Quòdque signum sanctitatem hanc significet ita, ut eam in dignè suscipientibus Sacramentum reipsâ operetur.

Cujus generis signa vocari in scholis solent *practica*.

(4.) Cùm verò signum nullum nexum naturalem cum rebus sacris, hominem sanctificantibus, habeat; oportet signum illud esse non *naturale*, sed *arbitrarium*, solo divino arbitrio institutum.

(5.) Et quidem institutum divinitus, tanquam cæremoniam religionis statam, stabilem, & solennem.

De hujusmodi re loquimur, dum de *Sacramentis* hæc præsens disputatio suscipitur.

5. Sacramentum sic definiri potest cum D. Thom. P. 3.

Q. 60. Art. 2. *Ut propriè dicatur Sacramentum, secundùm quod nunc de Sacramentis loquimur,*

QUOD EST SIGNUM REI SACRÆ, IN QUANTUM EST SANCTIFICANS HOMINES. Vel Q. 61. Art. 3. *Sacramenta sunt quædam sensibilia signa invisibilium rerum, quibus homo sanctificatur.*

Explicatio Professoris addet, quid sub his definitionibus possit intelligi, ut sint satis exactæ. Exactior est hæc Catechismi Romani: *Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ, tum significanda, tum efficienda, vim habet.*

Exponetur item discrimen inter *Sanctitatem* merè *legalem*, si-ve *externam*, quâ aliqui d Deo consecratur, divinoque deputatur obsequio; & *interiorem*, quæ fit per infusionem gratiæ justitiæ.

Sive vitiosa, & manca definitiones Sacramenti.

(1.) Lutheranorum in Confess. Aug. Art. 13. *Sacramentum est ritus, qui habet mandatum Dei, & cui est addita promissio.* (2.) Kemnitii. *Signum materiale, praeceptum in novo testamento, obsignans instar sigilli promissionem gratiae.* (3.) Carolstadii, cui, ut refert Lutherus in serm. de Verbis Cœnæ; & Philippus Melancthon in locis: *Sacramenta sunt signa, quibus Christiani distinguuntur à non Christianis, & symbola Christiana Societatis.* (4.) Zvinglii *Lib. de verâ, & falsâ Relig. Cap. de Sacram. ubi docet: Sacramenta nihil aliud esse nisi initiationem quandam, & oppignorationem; quâ videlicet homines obligant se Christo, & ejus militia nomen dant.* (5.) Calvini *Lib. 4. Instit. Cap. 14. §. 1 Sacramentum externum est Symbolum, quo benevolentia erga nos promissiones conscientis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo, & Angelis; quàm apud homines, testamur.*

Alias sinistras Sacramenti definitiones videre est apud Bellarm. *Lib. 1. Cap. 15.*

SECTIO II.

De existentia, & numero Sacramentorum.

DOGMATA.

1. In statu naturæ lapsæ fuit ante datam circumcissionem Sacramentum, quo subveniretur parvulis.

Nec... credendum est, & ante datam circumcissionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis: quamvis, quid illud esset, aliquâ necessariâ causâ Scripturâ latere voluerit. S. August. Lib. 5. contra Julianum, Cap. 11.

2. Fuê-

2. Fuêre & in lege veteri Sacramenta quædam, quibus homo fidem suam protestaretur de futuro Salvatoris adventu. S. Thom. *P. 3. Q. 61. Art. 3.*
3. Sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena, & infirma elementa; quia gratiam nec continebant, nec causabant. S. Thom. *ibid. Art. 4. ad 2.*
4. Prima Sacramenta, quæ observabantur, & celebrabantur ex Lege, prænuntiativa erant Christi venturi: quæ cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt: Et ideo ablata, quia impleta. S. August. *Lib. 19. cont. Faust. Cap. 13.*
5. In lege nova autem *alia instituta sunt, virtute majora, utilitate meliora, actu facilia, numero pauciora &c.* S. Aug. *ibid.*
6. Sacramenta novæ Legis omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta sunt. *Trid. Sess. 7. Can. 1.*
7. Nec plura sunt, nec pauciora, quàm septem, videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. *Ibid.*

Probabitur hoc generatim ex communi potissimum, & perpetuo totius Ecclesiæ, tam latinæ, quàm græcæ, consensu. Singula verò hîc enumerata esse verè Sacramenta, demonstrabitur suo loco seorsim de singulis.

8. Hæc septem Sacramenta non sunt ità inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius. *Ibid. Can. 3.*
9. Non sunt superflua, sed ad salutem necessaria; nec sine
eis,

eis, aut eorum voto, per solam fidem, homines à Deo gratiam justificationis adipisci possunt. Licet omnia singulis necessaria non sint. *Ibid. Can.*

4. & 8.

10. Non sunt igitur propter solam fidem nutriendam instituta. *Ibid. Can. 5.*

ERRORES.

Primò Quidam Sacramenta omnia de medio tollere conati sunt. Quales fuere (1) ii, quos Epiphanius *Heres. 40.* Archonticos, Theodoretus *Lib. 1 de Heret. fab.* Ascodritos vocat (2) Cathari, non Novatiani illi, sed alii posteriores, quos S. Augustinus etiam Catharistas, seu Mundatores, vocat. (3) Fratricelli, seu Beguini, qui Ecclesiastica Sacramenta despiciebant, ut testatur Joannes XXII. *Extrav. Sancta Romana*

Secundò Alii non omnia quidem Sacramenta despiciebant, sed ex eorum numero exterminabant aliqua. Alii enim repudiabant Baptismum, alii Confirmationem, alii alia Sacramenta, ut suo loco exponetur de singulis.

Damnatos hos pridem ab Ecclesia errores his temporibus resuscitados cernimus Nam Sacramenta omnia respui à Schvvenkfeldianis testantur Staphilus *Lib. de Concord. Discipulorum Lutheri,* & David Chytræus *Prefat. in Apoc*

Lutherani, Calvinistæ, cæteri que A catholici hujus temporis, omnes duo Sacramenta recipiunt, Baptismum, & Eucharistiam; duo rejiciunt, Confirmationem, & extremam Unctionem; Matrimonium recipiunt, non tamen velut Sacramentum; de reliquis duobus inter se litigant.

Iidem Fidei omnia tribuunt, Sacramentis autem nihil, nisi, quòd sint nuda Fidei signa, eaque non omnino necessaria: imitati Mesalianos, Euchitas ab oratione dictos; quia profitebantur,

se sine Baptismo, & Sacerdotum absolutione, posse statim homines suis precibus (sicut hi nostri *Fide*) justificare; tametsi etiam Sacramenta illa admitterent. *Epiph. her. 80. Aug. her. 75. Theodoret. L. 4. de heret. fab.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. Utrum in statu naturæ, integræ ante peccatum Adæ, fuerint aliqua Sacramenta, aut futura fuissent, si status is Adamo non peccante diutius perstitisset.
2. Quot, & quænam, fuerint Sacramenta Legis Mosaicæ.
3. Quo pacto in Lege veteri Circumcisio peccatum originis, & Hostiæ pro peccato, deleverint peccata actualia.
Quâ occasione explicabitur; quid sit conferre, & operari gratiam *ex opere solius operantis*, & quid *ex opere operato*.
4. Cur conveniat, esse septem Ecclesiæ Sacramenta. *S. Thom. P. 3. Q. 65. Art. 1.*

SECTIO III.

De differentia Sacramentorum veteris Legis, & novæ; horumque virtute, & efficacia.

DOGmata.

1. Sacramenta novæ legis à Sacramentis antiquæ legis non differunt præcisè, quòd cæremoniæ sint aliæ, & alii ritus externi. *Trid. Sess. 7. Can. 2.*
2. Nam Sacramenta novæ legis, non sunt signa tantùm externa acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ; & notæ quædam Christianæ professionis; quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus. *Ibid. Can. 6.*
3. Sed gratiam, quam significant, continent; eamq;
NON

non ponentibus obicem conferunt (*ibid.*) ex opere operato. *Can. 8.*

Veteris verò legis Sacramenta erant (*Secl. præc. Dog. 3.*) egena, & infirma elementa; cò quòd nec continebant, nec causabant *ex opere operato* gratiam.

4. Per ejusmodi Sacramenta, non tantùm *aliquando*, & *aliquibus* (scil. solis prædestinatis) sed *semper*, & *omnibus*, ritè ea suscipientibus, datur gratia, quantum est ex parte Dei. *Ibid. Can. 7.*

5. In tribus præterea Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, imprimitur animæ character, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile; unde ea iterari non possunt. *Ibid. Can. 9. Flor. in Decret. unionis.*

In Sacramentis characterem imprimentibus (1) non est aliquid iterandum; sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermisum. (2) Non intelligitur iteratum, quod ambigitur factum.

ERRORES.

(1.) Armenorum, qui, teste Guidone, negabant, per Sacramentum ullum conferri gratiam; quamvis faterentur, per Sacramenta animum ad eam suscipiendam præparari Cui doctrinæ vel gemina, vel affinis est hæc Lutheri in Assert. Art. 1. *Hæretica, sed usitata, sententia est, Sacramenta nova legis dare gratiam iis, qui non ponunt obicem.* Scriptura enim dicit: *Justus ex fide sua vivet;* non dicit: *ex Sacramentis vivet.* (2.) Bucerii, qui in *Cap. 3. Matth.* docet: Si non sint homines prædestinati; tum Sacramentum Baptismi esse nudum signum, quòd illi recipiantur in externa Ecclesia, non tamen à Deo. Ex quo concludit, infantibus non prædestinatis nihil prodesse Baptismum; sed perire eos, licèt sint baptizati.

tizati. Eadem ferè sensit Calvinus, in *Lib. de consensione inter Tigurinos, & Genevenses*, dicens: *sedulo docemus, Deum non promiscuè vim suam exserere in omnibus, qui Sacramenta recipiunt, sed in SOLIS ELECTIS &c.* (3.) Lutheri, asserentis, nullo in Sacramento imprimi characterem.

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. Quodnam sit gratiæ justifiæ, virtute Sacramenti susceptæ, discrimen à gratia, quæ sine Sacramento percipitur.
2. Quænam gratia sit communis Sacramentis; quæ cuilibet Sacramento propria. Quodnam sit & in quo fundetur, illud, quod Theologi vocant, *jus quoddam ad certas gratias actuales* suo tempore, loco, & occasione, concedendas.
3. Quænam Sacramenta ex primâ Christi institutione conferant *primam* gratiam, vocenturque Sacramenta *mortuorum*; quæ secundam gratiam, dicta *virvorum Sacramenta*.
4. An Sacramenta vivorum possint nonnunquam conferre *ex accidenti* primam gratiam
5. An Sacramenta inæqualia producant inæquales gratias.
6. An æqualia in duobus, inæquali ratione dispositis, producant ex opere operato gratias inæquales.
7. An Sacramenta *solo voto* suscepta, præter gratiam communem justitiæ, operentur etiam gratiam sacramentalem.
8. Quid fide certum sit de characterè Sacramentali; quid liberæ disputationi permissum.
9. An Sacramenta novæ, & veteris legis, inter se univocè conveniant. Sed de hoc paucis.
10. Quinam videantur energiam Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, Sacramentis N. L. vim operandi gratiam tribuentium, feliciter assequi, & melius explicare. An, qui dicunt & *physicè*, an qui *moraliter* tantum, causa Sacramentis produci.
11. Omitteretur, an Sacramenta producant gratiam in puncto temporis

poris

poris dividuo, an individuo. Satis erit dicere, conferri non po-
nentibus obicem gratiam, simul atque materia Sacramenti, &
forma, eis applicata fuerint.

SECTIO IV.

De partibus essentialibus Sacramentorum N. L.

DOGMATA.

1. Omnia (*nova legis*) Sacramenta tribus perficiun-
tur; rebus, tanquam materiâ; verbis, tanquam for-
mâ, & personâ ministri (*qualem nempe ad Sacra-
menti cujuslibet administrationem requisivit
Christus*) conferentis Sacramentum, cum intentio-
ne faciendi, quod facit Ecclesia. Concil. Florent. in
Decreto unionis. Trid. sess. 7. Can. 10. § 11.

Materia Sacramenti vocari etiam solet *elementum*, juxta illud
S. Augustini super Joannem: *Accedit verbum ad elementum,
& fit Sacramentum.* Non tamen necesse est, ut materia Sa-
cramenti sit aliquod ex quatuor vulgaribus elementis
physicis; sed satis est, esse aliquid sensibus expositum.

2. Quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramen-
tum. Concil. Flor. *ibid.*

Sufficiet hoc unum docere, & demonstrare. Quo benè sta-
bilito necesse non erit multum temporis absumere in illa
quæstione merè dialecticâ, & metaphysicâ: *An persona, &
intentio ministri, & alia ejusmodi quædam, sint intima Sacramenti
essentia, an ab ea extrinsecus tantum respiciantur necessario, &
connotentur.*

3. Ad Sacramenti nullius valorem, & essentiam, necessa-
ria sunt verba concionatoria.

4. Sed necessaria est certa verborum forma, quæ ex

Christi institutione consecret elementum, eique vim conferendi gratiam tribuat.

5. Disciplina Ecclesie adhiberi interdum vult verba sub conditione.
6. Non qualescunque res, & verba qualiacunque, ad Sacramentum N. L. sufficiunt; sed tam res, quam verba, à Deo determinata requiruntur.

ERRORES.

(1.) Paulicianorum, qui teste Euthymio *Part. 2. Panopl. Tit. 27.* negabant, Sacramenta rebus constare, ideoque verbis quibusdam solis Sacramentorum loco utebantur. E. g. Baptismum dicebant constare his verbis: *Ego sum aqua viva.* (2.) Lutheri, non requirentis debitam intentionem ministri, sed solius suscipientis. Ait enim *Lib. de Captiv. Babyl. Cap. de Baptismo. Imò non dubitem, si quis in nomine Domini (Baptismum) suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, verè baptizatum esse in nomine Domini.* (3.) Calvinii, qui *Lib. 4. instit. Cap. 14. § 4* contendit, verbum sacramentale nihil aliud esse, nisi concionem. *Hoc est, Inquit, quod vulgò dicunt, constare Sacramentum verbo, & externo signo. Verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu, & fide insusurratum, solo strepitu velut magicà incantatione, consecrandi elementi vim habeat: sed quod predicatum intelligere nos faciat, quid visibile signum sibi velit.* (4.) Rursum Lutheri, in *Lib. de Captiv. Babyl. l. c.* asserentis, non requiri certas res, & verba in Sacramentis: sic enim ait: *Quocunque modo tradatur Baptismus, modo non in nomine hominis, sed in nomine Dei, tradatur, verè salvum facis.* Quam tamen sententiam retractavit in *Homil. 1. de Baptismo*, habità anno 1535., manifesto argumento, non regi doctrinam ejus spiritu constanti.

PRO

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Alexand. VIII. 287a, anno 1630. *Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, NON INTENDO, QUOD FACIT ECCLESIA.*

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. Quàm antiquus sit modus, explicandi Sacramenta per materiam, & formam. Quibus vocibus eandem rem explicare soliti fuerint Patres vetustiores.

2. Quo sensu dicantur omnia N. L. Sacramenta perfici rebus, & verbis. Vid. Bellarminus *de Sacram. Lib. 1. Cap. 18.*

3. Quid intelligant Theologi nomine *materia proxima*, & *remota.*

Quæ sit cuiusque Sacramenti materia proxima, aut remota, dicetur locis suis.

4. An actio per se, vel ex fine suo, *ethicè mala* possit esse materia proxima Sacramenti, & moraliter actio Christi.

5. An forma Sacramentorum necessariò requirat *verba*, ut vocant. *formalia*; an verò sufficiant *virtualia*; ut e. g. nutus, scriptura &c.

6. Quænam materiae, aut formæ, mutatio reddat Sacramentum irritum, & nullum: Quæ verò ejus usum duntaxat reddat illicitum. Quæ necessaria sit rerum, & verborum conjunctio

7. Quo sæculo disciplina Ecclesiæ invenerit formas Sacramentorum conditionatas. De quo Benedictus XIV. *de Synod. L. 7. Cap. 5.*

8. Quando, & quas condiciones, & quo modo, conveniat Sacramentorum formis adjicere.

9. An Sacramentorum formæ apud Græcos sint reipsa deprecatorix.

SECTIO V.

De Sacramentorum N. L. Authore.

DOGmata.

1. Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? S. Ambros, *Lib. de Sacram.* Trid. *Sefs. 7. Can. 1.*
2. Hic materias & formas Sacramentorum certas determinavit.
 Quorundam Sacramentorum materias, & formas determinavit *in specie infimâ*; quorundam *in genere tantum*, determinationem ulteriorem relinquens suæ Ecclesiæ.
3. Nemo purus homo, nec Ecclesia tota, instituire Sacramenta potest; nec materias, & formas, quousque à Christo determinatæ sunt, immutare.
4. Hæc tamen potestas perpetuò in Ecclesia fuit; ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, castatueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum, varietate, magis expedire judicaret. Trid. *Sefs. 21. Cap. 2.*
5. Instituire etiam cæremonias, in solenni Sacramentorum administratione observandas, potest; quas mutare nulli privato, aut intermittere, extra necessitatis casum, liceat.
6. Ritus, in Ecclesia Græca, & Latinâ, diversi, nihil unitati Fidei officiunt.

ERROR

Novatorum, Cæremonias in administratione Sacramentorum, ab Ecclesia à tot sæculis receptas, aspernantium.

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. An Christus, non tantùm velut Deus, sed etiam velut homo, Sacramenta instituerit.
2. An post Tridentini Canonem *1. Sess. 7.* locum habere etiamnum possit quorundam veterum Theologorum opinio; quòd Christus Sacramenta quædam *mediatè* tantùm instituerit.
3. Quorum Sacramentorum materias & formas *in specie infimâ*, quorum *in genere duntaxat*, determinaverit Christus.
4. Quinam Sacramenta administrandi ritus antiquiores sint, Græcine, an Latini.

SECTIO VI.

De Ministro Sacramentorum.

DOGMATA.

1. Principalis, & primarius per excellentiam Sacramentorum omnium minister est ipse Christus.
2. Secundarii ministri verò, & dispensatores mysteriorum Dei, sunt soli homines viatores; non angelus, sive bonus, sive malus.
3. Non tamen aut omnes homines, aut omnes baptizati, in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis, habent potestatem. *Trid. Sess. 7. Can. 10.*
4. Sed ii soli, quibus Sacramentorum suorum ministerium, & dispensationem, Christus commisit.
Quinam sint singulorum Sacramentorum ministri, exponetur suis locis.

5. Minister legitimus, quamvis in peccato mortali existens (modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum, pertinent, servaverit) conficit, & confert Sacramentum. *Trid. Sess. cit. Can. 12.*
6. Ministri quoque (si legitimè ordinati sint, & nihil omittant ad substantiam Sacramenti pertinens) quamvis hæretici, aut infideles, Sacramentum conficiunt, & conferunt.
7. Modò intentionem habuerint debitam. *Florent. & Trid. Sess. cit. Can. 11.*
8. Ministrorum munus unicum non est, declarare gratiam collatam; sed eam reapse conferunt.

ERRORES.

(1.) Lutheri, qui in *Libro de Missa privata, & unctione Sacerdotum*, edito anno 1534 asserit, non modò homines, sed etiam Angelos, & Sanctos, imò ipsum diabolum verè posse Sacramenta conferre. (2.) Ejusdem, in *Artic suo 13. in Lib. de Captiv. Babil. Cap. de Ordine*, in *Lib. ad Pragenses*, edito anno 1523. docentis, omnes, & solos baptizatos æqualiter esse Sacerdotes, hoc est, eandem in verbo, & Sacramento quocunque, habere potestatem. Tamen monet, non licere unicuique uti hoc jure, nisi in necessitate; sed exspectandam esse vocationem communitalis.

(3.) Agrippini, Carthaginensis Episcopi. & successoris ejus S. Cypriani, multorumque Africanorum, & Asiaticorum; qui ante sententiam definientem ab Ecclesia latam, sinè discessione ab unitate Ecclesiæ defendebant, nulla esse Sacramenta collata ab hæreticis, & schismaticis. (4.) Donatistarum, qui post sententiam ab Ecclesia latam perrexerunt eundem errorem pertinaciter

naeiter defendere, & baptizatos à Catholicis anabaptizare. (5.) Waldensium, qui Sacramentorum ministeria concedebant bonis laicis, malis Sacerdotibus eripiebant. (6.) Wicleffi, qui non modò improbos, sed etiam bonos quidem nunc, malos autem aliquando futuros, ac præscitos, id est, reprobatos, negabat posse Sacramenta conficere. Concil. Constantiense Sess. 8. Thom. Waldensis Tom 2. Cap. 14.

QUÆSTIONES.

1. Quid sentiendum de historiis apud Nicephorum, Sabelium, S. Antoninum, & alios, Sacramenta ab Angelis nonnunquam administrata fuisse, testantibus.

2. Quando peccet, quando non peccet, qui Sacramentum in statu peccati, hæresis, schismatis, excommunicationis, administrat.

3. An, aut quando, liceat petere, & recipere Sacramentum à Ministro in statu peccati constituto, vel hæretico, schismatico, excommunicato.

4. Quid sit intentio actualis, habitualis, virtualis; & quænam ex his ad Sacramentum verè conficiendum necessaria sit, aut sufficiat in Ministro. An, aut quando, possit, aut debeat intentio esse conditionata.

5. Quænam debeat esse intentio infidelis; dum vult ministrare Sacramentum, quod tale esse non credit, e. g. Judæus baptismum.

6. Quid sentiendum, dum in ministro sunt duæ intentiones contrariæ; e. g. volo matrimonium, sed nolo Sacramentum.

7. Quid si ministri intentio designet in mente falsum verborum & hæreticum sensum, e. g. si dicens: *Hoc est corpus meum*, velit significare *Corpus Christi æreum*.

8. An liceat aliquando, saltem metu mortis, simulare administrationem Sacramenti.

SECTIO VII.

De subjecto Sacramentorum.

DOGMATA.

1. Sacramenta sunt propter solos homines viatores.
2. Non tamen quilibet homo est cujuslibet Sacramenti suscipiendi capax.
3. Eorum, qui nunquam velle potuerunt, ut infantium, & perpetuò amentium, consensus ad quorundam Sacramentorum, e. g. Baptismi, & Confirmationis, susceptionem validam non requiritur.
De adultis verò hæ sunt regulæ:
4. Ille, qui nunquam consentit, sed penitùs contradicit, nec rem, nec characterem, suscipit Sacramenti.
Cap. Majores ; de Bapt.
5. Dormientes autem, & amentes, si, priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, in contradictione persisterent: quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, etiamsi sic fuerint immergi, characterem non suscipiunt Sacramenti. *Ibid. s. ult.*
6. Secùs autem, si priùs catechumeni extitissent, & habuissent propositum baptizandi. Unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. *Ibid.*
7. Is, qui terroribus, atque suppliciis, violenter attrahitur, &, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit Sacramentum, talis... characterem suscipit Christiani-

stianitatis impressum, & ipse tanquam conditiona-
liter volens, licet absolutè non velit, cogendus est
ad observantiam fidei Christianæ.

- 8. Non baptizatus alterius nullius Sacramenti capax est.
- 9. Peccatori publico, scandalum pœnitentiâ idoneâ non reparanti; notorio hæretico, & excommunicato, se submittere, & Ecclesiæ satisfacere, repertinaciter recusanti, nullum licet Sacramentum administrare.

Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos. Matth 7. v. 6.

ERRORES.

(1) Eorum qui infantes negant baptismi capaces, eò quòd careant consensu, fide, & charitate: de quibus meminit Cap. *Majores* cit., quos imitantur Anabaptistæ. (2.) Lutheri in *Lib. contra Cochlæum* asserentis, infantes, dum baptizantur, credere per vim verbi, quo exorcizantur. (3.) Aliorum, qui volebant, parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse, an ratum habeant, quod patrini eorum nomine polliciti sint; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos. Vid. *Trid. Sess. 7. Can. 14. de Bapt.* Impingitur etiam Erasmo doctrina similis: nempe in infantia baptizatos, habendos ut non baptizatos, si adulti deinde reclament.

QUESTIONES.

- 1. An in adulto, Sacramentum suscepturo, sufficiat consensus, sive intentio, *merè negativa*, id est, *non reluctantiâ*.
- 2. An aliquando, & quo casu, sufficiat intentio *interpretata*, aut *animo presumpta*.
- 3. An joculariter baptismum suscipiens, ritè sit & validè baptizatus. Ubi ponderanda occurrit historia S. Genesii Martyris.

4. An probabilis sit opinio Vanzogii docentis, *positivum animi dissensum non officere Sacramento Ordinis.*

5. An peccatori occulto, Sacramenta publicè petenti, liceat, aut oporteat, ea administrare.

6. An liceat aliquando urgente aliquâ gravi causâ inire matrimonium cum persona hæretica, eique ità administrare Sacramentum.

SECTIO VIII.

De obice Sacramentorum, Et de eis remoto obice reviviscentibus.

PRÆCOGNITA

1. Sacramentum *validum* dicitur, quando ponuntur omnia ad ejus essentiam pertinentia.
Ut cum præscripta à Christo Domino materia, & forma, adhibetur cum intentione debitâ.
2. *Fructuosum* verò Sacramentum dicimus, quando gratia justifica, quæ Sacramenti præcipuus fructus est, suscipienti confertur.
3. Gratia justifica (ex præsentis quidem divinæ providentiæ ordine) esse in eodem homine non potest cum *peccato gravi*, sive præsentis, id est, actuali; sive præterito non condonato, id est, habituali.
4. Ex præsentis pariter divinæ providentiæ ordinis peccatum nullum condonatur, nisi fuerit ab ipso met peccatore retractatum per *dolorem* supernaturalem, vel *imperfectum* unâ cum Sacramento; vel *perfectum* cum Sacramenti voto.
5. Peccatum igitur grave non retractatum est *obex gratiæ*:

tiz: quocum qui Sacramentum suscipit, dicitur Sacramenti *obicem* ponere.

6. Suscipi autem *cum obice* Sacramentum variis modis potest: ut primò *bonâ fide*.

Ut e. g. Si quis adultus ante baptismum peccasset graviter, sed peccati hujus ex inculparata oblivione immemor accederet ad Baptismum sinè dolore.

Obex ejusmodi vocari à quibusdam solet *negativus*, & *materialis*.

Secundò *malâ fide*; qui vocatur à quibusdam *obex formalis*.

Ut si quis peccati sui præteriti satis memor, tamen sciens, prudens, sinè dolore baptismum susciperet; aut si quis ad hoc Sacramentum accederet sinè fide. Qui dici solet *obex privativus*.

Aut si quis Sacramentum susciperet cum actuali deliberato affectu ad peccatum grave; aut pertinaciter adhærens alicui hæresi. Qui dici solet *obex positivus*.

7. Sacramentum cum obice susceptum, vocari etiam solet *fiçtè* susceptum: fiçtione non *intentionis* quidem (hujusmodi enim fiçtio redderet Sacramentum irritum, sed *interioris dispositionis*. Vocatur item *informe*; Sacramentum fructuosum contrâ appellari solet *formatum*.

8. Sacramenta *reviviscere* significat, ea sublatâ postea fiçtione consequi suum effectum gratiæ justificæ; quem consequi, dum primò conferebantur, propter obicem positum non poterant.

Duo quaruntur hoc loco, primò *an, & quæ Sacramenta possint esse valida, & informia*. Secundò; *an, & quæ sublato obice reviviscant*. Nihil quidem de his questionibus reperitur ab Ecclesia definitum: ex definitis tamen hæc satis certa sequuntur

PRIN-

PRINCIPIA.

1. Baptismus, Confirmatio, & Ordo, cum non soleant, nec ex communi Ecclesie sensu possint iterari, quamvis suscepta fuerint cum obice; sequitur, hæc Sacramenta, si tunc suscepta, esse tamen valida.

Idem de aliis Sacramentis concludunt communiter Theologi; excepto Sacramento poenitentiae, de quo major est controversia; ut dicitur Tractatu sequenti.

2. Sacramenta ponentibus obicem non conferunt ipsam gratiam. *Arg. Trid. Sess. 7. Can. 6.*

Si ergo Sacramenta si tunc suscepta sunt valida, erunt tamen informia.

3. Baptismum, si tunc susceptum, sublato deinde obice reviviscere, communissima est Doctorum Catholicorum sententia, cum S. Augustino *Lib. 3. de Baptism. contr. Donatist. Cap. 13. § ibid. Lib. 6. Cap. 5.* & S. Thoma *P. 3. Q. 69. Art. 10.*

Idem probabiliter admodum creditur de Confirmatione, & Ordine, characterem quoque imprimentibus. De Matrimonio, & extremâ unctione, idem sentiunt graves auctores permulti. De Eucharistia negant plures cum D. Thoma *in 4. Dist. 4. Q. 3. Art. 2. questiuic. 3. ad 3.* De Poenitentia examinabitur *Tract. seq.*

QUÆSTIONES.

1. Quid requiratur, ut reviviscat Baptismus cum obice tantum materiali susceptus, si nullum interea aliud peccatum grave admissum à baptizato fuerit.
2. Quid, si aliud post ita susceptum Baptismum grave peccatum commiserit.
3. Quid, si sacrilegè susceptus fuisset Baptismus cum obice formalis,
4. Quid

4. Quid necessarium sit, ut Sacramenta alia cum obice suscepta reviviscant.

5. An Sacramentis reviviscentibus gratia infundatur secundum mensuram dispositionis; quæ erat in ipsa susceptione Sacramenti; an verò ejus, quæ nunc est, dum obex tollitur.

6. Quomodo Pœnitentia cum Baptismo reviviscente concurrat ad gratiam removenti obicem conferendam.

SECTIO IX.

De Sacramentalibus.

1. Sacramentalia Catholici Theologi vocant illa, quæ cum verè sacramenta non sint, quandam tamen cum sacramentis similitudinem habent, præcipuè circa condonationem peccatorum venialium.

2. Sacramentalium, longo Ecclesiæ usu approbatorum, usus retinendus; abusus, si quis ex plebeculæ rudis simplicitate irrepsit, abolendus.

ERROR

A catholicorum, Sacramentalium antiquissimum in Ecclesiâ tam græcâ, quàm latinâ, usum velut superstitionem criminantium.

QUÆSTIONES.

1. Quot, & quæ sint Sacramentalia Ecclesiæ usu recepta.
2. Quid virtutis insit rebus sacramentalibus, & unde: an ex virtute signi, an ex precibus Ecclesiæ, an ex devotione utentis.
3. An, & quæ peccata remittantur per Sacramentalia. Vid. S. Thom. P. 3. Q. 87. Art. 3.

AP-

Quoniam magnus in disputatione tam de Sacramentis generatim, quàm de speciebus eorum singulis, usus est *Decreti unionis ad Armenos*, in Concilio Florentino editi; operæ pretium erit, vel hoc loco, vel Tractatûs hujus ipso in aditu, *Decreti* hujus auctoritatem stabilire, atque adversus Heterodoxorum cavillationes defendere. Monendus tamen Auditor, Decretum illud iniis, quæ materiam, & formam, quorundam Sacramentorum spectant, usum, & disciplinam Ecclesiæ latinæ duntaxat exponere, non verò velle eosdem ritus Armenis obtrudere, Vid. Tournel. *de Sacram. in genere Art. 3. num. 1.*

Sic laudans formam Baptismi latinam: *Ego te Baptizo &c.* non propterea reprobatur formam græcorum: *Baptizetur talis servus Christi in nomine &c.* Rursus ritum conferendi SS. Ordines latinum referens, non damnatur propterea ritus græcos. Voluit tamen Concilium dedocere Armenos errorem, quo laborabant, existimantes, non esse apud Latinos iis in Sacramentis, quæ alio apud ipsos ritu administrantur, justam materiam, & formam. Concilium igitur, etsi noluerit Armenis ritus hos Latinos injungere: tamen eos in decreto suo exprimens, definivit veram, & validam in iis contineri Sacramentorum materiam, & formam. *Cap. 6. de Bapt. & ejus eff. Conferatur cum Decreto Florentini.*

PARS II.
De Baptismo.

SECTIO I.

De Baptismi natura, & necessitate.

DOGMATA.

1. Baptismus est Sacramentum regenerationis in lavacro aquæ, & verbo vitæ.

2. Bap-

2. Baptismus Christi longè alius est à Baptismo Joannis; nec enim Joannis Baptismus habuit eandem vium cum Baptismo Christi. *Trid. Sess. 7. Can. 1 de Bapt. Vid. S. Thom. P. 3. Q. 38. Art. 1. 2. & 3.*
3. Cùm per primum hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua, & Spiritu S. renascimur, non possumus (ut inquit Veritas) in regnum cœlorum introire. *Conc. Flor.*
4. Unde Baptismus non est liber; sed necessarius ad salutem. *Trid Sess. 7. Can. 5.*
6. Justificatio post Evangelium promulgatum sinè lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit &c.* *Trid. Sess. 6. Cap. 4. de Justif.*
6. Tria autem sunt genera baptismi; quorum primum est, quo sordes peccatorum per regenerationis lavacrum abluuntur; secundum, quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur. Est autem tertium baptisma lacrymarum &c. *S. Ilidorus Lib. 2. de officiis ecclesiast. Cap. 24.*
Alio modo vocantur *Baptismus fluminis, sanguinis, & flaminis.*
7. Ad parvulorum salutem, dum in casu necessitatis confertur baptismus re non potest, non sufficit *baptismus in voto, aut fide parentum.*
8. Salvari tamen possunt per *baptismum sanguinis.*
9. Primum omnium Sacramentorum locum tenet *Baptismus,*

tismus, quòd vitæ spiritualis janua fit: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ. *Conc. Flor.*

10. Unum baptisma est, quod iterari non potest. *Trid. Sess. 7. Can. 9.*

ERRORES.

(1) Petiliani Donatistæ, docentis, unum esse baptismum Christi, & Joannis; quem refellit S. Augustinus *Lib. 2. contra literas Petiliani. Cap. 32. 34. & 37.* (2) Philippi Melancthonis, in locis, editis anno 1558., *Tit. de Baptism. Joan.*, Zvvinglii in *Lib. de verâ, & falsa religione, Cap. de Baptism.*, Calvini in *Antidoto*, & *Instit. L. 4. Cap. 15. §. 7. & 8.* Kemnitii in *P. 2. Exam.*, aliorumque afferentium, quòd Baptismus Joannis remiserit peccata, & fuerit idem Sacramentum cum Sacramento Christi. (3.) Pelagii negantis, Baptismum esse necessarium ad delendum peccatum originis (quippe quod negabat) sed solùm ad consequendum regnum cœlorum, teste Augustino *de Heres. Cap. 69.* (4.) Wicleffi, qui, teste Thoma Waldenti *Tom. 2. Cap. 96*, & Zvvinglii, qui l. c. negavit satis apertè, Baptismum esse necessarium ad salutem; eò quòd nihil sit, nisi externum Symbolum. (5.) Idem negavit Bucerus in *Cap. 3. Matth.*, sed eo ex capite, quòd pueri prædestinati etiam sinè baptismo salventur; non prædestinati etiam cum Baptismo damnentur. (6.) Calvini, qui in *Antidoto ad Sess. 6. Trid. Cap. 5.*, & *Lib. 4. Instit. Cap. 16. §. 24 & 25.* docet, parvulos fidelium etiam sinè Baptismo esse sanctos, & si moriantur, salvari: quia putat, filiis fidelium non imputari peccatum originis. (7.) Testantur S. Bernardus *Epist. 77*, & Hugo *Lib. 2. de Sacram. Part. 6. Cap. 7.*, fuisse suo tempore quendam, qui baptismi necessitatem ita extulerit, ut adultum, quamvis toto corde ad Deum conversum, & baptisma optantem, sed ejus copiâ destitutum, salvari posse, negaverit; si contigerit ipsum sinè baptismo

mo mori. (8.) Quidam, cetera Catholici, bona fide docuerunt antehac, posse parvulis in casu necessitatis ad salutem sufficere Baptismum in voto parentum. (9.) Demum numerandus venit error Donatistarum, Baptizatos à Catholicis, Anabaptistarum, Baptizatos in infantia, post in proventiore aetate anabaptizantium.

QUÆSTIONES.

1. Quando Christus Baptismum instituerit.
2. An, & quando, Christus, B. Virgo, & Apostoli, Baptismum susceperint.
3. Quando urgeat præceptum Baptismi.
4. An convenienter dicantur tres Baptismi, & quis eorum sit potissimus? S Thom. P. 3. Q. 66. Art. 11. & 12.

SECTIO II.

De Materia, & Forma Baptismi.

DOGMATA.

1. *Materia remota* Baptismi est aqua simplex, & naturalis. Trid. *Sess. 7. Can. 2. de Bapt. & Conc. Flor.*

Non ex necessitate institutionis divina, sed ex præcepto Ecclesiæ, adhiberi extra necessitatis casum non debet, nisi aqua ritè benedicta.

2. *Proxima* est ablutio, seu lotio corporis.

Hæc prisca temporibus tam in Orientis, quam Occidentis. Ecclesiis fiebat per immersionem, vel trinam, & unicam. *Videantur Canones 73. 80. 81. 83. de Consec. Dist. 4.* Hodie in Orientis Ecclesiis retinetur immersio; in Occidente passim baptizandi capiti aqua affunditur.

Circa unam, aut trinam immersionem, varia fuit pro varietate temporum Ecclesiæ disciplina. Sub Ecclesiæ initium, quia videntur quidam per unam immersionem significare voluisse, se dare baptismum in morte Christi; Can. Apost.

50. statutum est, ut in trina immersione celebraretur baptismus. Cum non dixerit Christus, *in morte meâ baptizate*; sed *in nomine Patris &c.* Posterioribus temporibus S. Gregorius Leandro scripsit, Nihil referre, siue baptizandus semel siue ter mergatur. *Can. de trina de Consecr. Dist. 4.* & habetur in Concil. Tolet. IV. *Cap. 5.* Ipsam verò Concilium Toletanum *Cap. 7. est.* statuit, ut in Hispania, propter grassantes tunc hæreses, unica tantum immersio fieret; ne videretur triplex personarum significari substantia, sicut trina est n. e. tio.

3. Forma ejus desumitur ex his Christi verbis: *Euntes in universum mundum, predicare Evangelium omni creature, BAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS, & FILII, & SPIRITUS SANCTI.* Matth. ult.

Ex quibus verbis tres intelligimus esse necessarias ad formam Baptismis expressas pronuntiationes; (1) sanctissimæ Trinitatis, (2) actus ipsius baptizandi, (3) personæ baptizatae. Personam baptizantis satis est subintelligi.

4. Quæ omnia exactè exprimit hæc Latinorum forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Conc. Flor.

5. Non tamen negamus, quin & per illa verba: *Baptizetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* Vel *Baptizetur manibus meis talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* verum perficiatur Baptisma. *Conc. Flor.*

6. Si quis puerum ter merferit in nomine Patris, & Filii,

&

& Spiritus sancti; & non dixerit: *Ego te baptizo*
Ec. non est puer baptizatus. *Cap. 1. de bapt.*
Ec. eius eff.

7. De quibus dubium est, an baptizati fuerint; bapti-
zantur his verbis præmissis: *Si baptizatus es, non*
te rebaptizo: sed si nondum baptizatus es, ego
te baptizo Ec. *Cap. 2. eod.*

ERRORES.

(1) Seleucorum, & Hermianorum, qui teste S. Augustino *de*
Hæres. *Cap. 59* non aquâ, sed, Philastro teste, igne baptizabant,
decepti sinistro intellectu verborum S. Joannis: *ipse vos baptiza-*
bit in Spiritu sancto & igne. *Matth. 3.* (2.) Bezzæ, asserentis, posse
baptismum conferri vino, lacte, & cerevisiâ. Non alienus ab
ea sententia videtur fuisse & Lutherus, in *Symposiacis Cap. 17.*
dicens, quidquid balnei nomine nuncupari potest, illud esse ap-
tun ad baptizandum. (3.) Græcorum, & Armenorum, qui La-
tinorum baptismum, per infusionem aquæ, & verba: *Ego te Bap-*
tizo Ec. collatum, reputantes irritum, non dubitabant iterum
baptizare eos, quos baptizassent Latini. *Cap. 6. de Bapt.* (4.)
Manichæorum, qui, quod putarent, aquam non à Deo, sed diabo-
lo, procreatam, negabant illam in Baptismo adhibendam; ut re-
fert. S. Aug. *de Hæres.* *Cap. 46.* (5.) Flagellantes dixerunt, Bap-
tismum aquæ mutatum esse in baptismum sanguinis. Sed dam-
nati sunt in Concil. Viennensi, sub Clemente V.

Circa formam Baptismi errârunt (1.) quidam antiqui, qui
baptizabant *in tribus sine initio Principiis*, aut *in tribus Paracletis*;
ut colligimus ex Canone Apost. 49. (2.) Pauliciani, qui sine
aqua utebantur his solis verbis: *Ego sum aqua viva*, ut jam supra
di-

dictum. (3.) Marcitæ, sic dicti à quodam Marco, cujus mentionem facit Irenæus *Lib. 1. contra hæreses Cap. 8.*, & Euseb. *Lib. 4. Histor. Eccles. C. 11.* Hi baptizabant in nomine ignoti Patris, in veritate matre omnium, in JESU, qui descendit &c. (4.) Paulianistæ patiter non baptizabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. *Can. Paulianista 33. l. q. 1.* Cataphrygas patiter vel in forma, vel in materia, baptismi errâsse, colligimus ex *Can. Si quis confugerit. ibid.* Propterea statutum in Concilio Nicæno, quòd, qui ab his duabus hæresibus redierint ad Ecclesiam Catholicam, rebaptizari omnino debeant. *Can. eod.*

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Alexand. VIII. 27ma. *Valuit aliquando baptismus sub hac formâ collatus: IN NOMINE PATRIS &c. prætermisissis illis: EGO TE BAPTIZO.*

QUÆSTIONES.

1. Quænam materiæ Baptismi sint dubiæ.
2. An, & quâ conditione liceat, in casu necessitatis uti materiâ baptismi dubiâ.
3. An immersio, quæ occidat baptizandum, sit materia valida.
4. An unquam valuerit baptismus collatus *in nomine JESU Christi*; aut, si aliquando valuerit, valeat etiamnum hodie. Occasio hujus dubii oritur ex *Act. 8.*
5. Quænam aliæ formæ sint censendæ dubiæ. Quid sentiendum sit de hac forma: *Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta*, habetur *Can. Retulerunt. de Consecr. dist. 4.*

SECTIO III.

De Ministro Baptismi.

1. Validè conferre Baptismum potest quivis homo, etiam laici, & mulieres. *Can. 18. & 19. Pagani Can.*

20. & 21. Judæi *Can. 22.* mali *Can. 23.* & 25. imò
 & hæretici *Can. 27. de Consecr. dist. 4.* Modò
 omnia essentialia servaverint; *Trid. Sess. 7. Can.*
12. de Sacram.; & intentionem habuerint facien-
 di, quod facit Ecclesia, *Trid. Sess. 7. Can. 4. de*
Baptismo. Concil. Florent. idem definivit.
2. Extra casum necessitatis tamén conferre baptismum
 non licet non nisi Episcopis, & Presbyteris. *Can. 17.*
de Consecr. dist. 4.
3. Nemo potest baptizare seipsum, etiam instante neces-
 sitatis articulo. *Cap. 4. de Bapt.*
4. Nec plures unum, altero aquam effundente, altero
 verba pronuntiante.

ERRORES

Et hîc permulti locum habent; qui *Parte 1. huj Tract. de Mi-*
nistro Sacramentorum in genere commemorati fuerunt. Ad quos
 hujus loci peculiares, errores accedunt duo. (1) Marcionis or-
 dinariam mulierculis baptizandi potestatem facientis. (2.) Cal-
 vini, novitate ante ipsum inauditâ, asserentis *L. 4. Instit. Cap 15.*
§. 20. & in Antidoto adversùs Trid. sess. 7. Can. 10. ne in extre-
 ma quidem necessitate baptismum conferendum ab iis, qui non
 sint ordinarii Ecclesie ministri, ad hoc ipsum vocati, & ordina-
 ti. Utrum autem existimet, baptismum à laïco collatum non
 esse ratum, an tantùm non licere, non satis apertè explicat.

QUÆSTIONES.

1. An S Stephanus Papa, & Ecclesia Romana, omnium in
 concreto hæreticorum baptismum approbaverint: an illorum
 etiam, qui non servant omnia essentialia.

2. AN

2. An, & quando, Diaconis liceat baptismum conferre soleniter.

3. Quis ordo observandus inter ministros necessitatis.

4. An sit laudabilis disciplina quarundam Ecclesiarum, parvulos ab obstetricibus baptizatos, denuò sub conditione rebaptizantium.

SECTIO IV.

De subjecto Baptismi capace.

DOGMATA.

1. Baptismi capax est quivis homo vivens, etiam parvuli.

2. Iique baptismo suscepto inter fideles computandi sunt. *Trid. Sess. 7. Can. 13. de Bapt. Et Cap. Majores de Bapt.*

3. Præstat parvulos baptizare in infantia, ob incertos vitæ mortalis casus; quàm annos discretionis expectare. *Arg. Trid. Sess. 7. Can. 13.*

4. Mortui non possunt baptizari ampliùs. *Concil. Carthag. III. Cap. 6.*

5. Nec prodest mortuis, si vivi pro eis baptizentur.

Explicandus hoc loco erit difficultis locus S. Pauli 1. Cor. 15. v. 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt.*

6. Baptizatâ matre non baptizatur cum ea infans, quem gestat in utero. S. Augustinus *contr. Julian.*, habetur *Can. 112. & 113. de Consecr. dist. 4* Isidor. lib. 1. sent.

7. Neque enim, quidquid est in homine, quando baptizatur, & sanctificatur, baptizari, & sanctificari cum homine credendum est. S. August. *ibid.* Ethaberetur *Can. 23. de Consecr. dist. 4*

ERRORES.

Præter eos, qui *Part. 1. huj. Tract. de subjecto Sacramentorum in genere*, jam enumerati sunt; hoc loco occurrunt sequentes: (1.) Cataphryges, baptizabant mortuos, æste Philastro, (2.) Theophylactus in illud *1. Cor. 15.* ait, morem fuisse Marcionistis hæreticis, cum aliquis apud eos sine baptismo decessisset, mortui feretro visum aliquem supponere: tum interrogantes mortuum, vellētne baptizari, ubi vivus latens respondisset, se velle, hunc baptizabant loco mortui. Verum S. Ambrosio in dictum locum, videtur error ejusmodi jam tum viguisse S. Pauli tempore; quem is loc. cit. in rem suam commemoret, non verò probet ullo modo. (3.) Juliani, qui sentire visus est, quidquid in homine sit, baptizari, & sanctificari cum homine, ut colligitur ex verbis S. August. cit.

QUÆSTIONES.

1. An liceat, aut oporteat, infantem Judæi, vel alterius infidelis, morti proximum, baptizare, non consentientibus parentibus.
2. Quid si hoc fieri sine gravi incommodo tuo, aut periculo, non possit, ob parentum repugnantiam.
3. An extra ejusmodi necessitatis casum liceat privatâ auctoritate baptizare pueros infidelium, in vitis parentibus.
4. Quantum juris competat Principi Christiano, ad infidelium, sibi subditorum, parvulos baptismo subjiciendos, in vitis parentibus.

Ubi observari discrimen poterit inter *infideles toleratos*, & *non toleratos*; item *servos* inter, & *civiliter tantum subjectos*. Vid. *Benedictus XIV. Tom. 2. Bullarii sui pag. 186.*

5. An liceat aliquando plures unâ actione baptizare.
 6. An, & quomodo, illi baptizandi, qui in partûs difficultate vel nullo, vel imperfecto duntaxat modo, nati sunt; si illorum vita periclitetur. Vid. Benedictus XIV. *Lib. 7. de Synod. Cap. 5.*
 7. Quid agendum, dum fœtus imperfectus, aut monstrosus, editur.

SECTIO V.

*De dispositione, ad Baptismum suscipiendum
 necessariâ.*

DOGMATA.

1. In adulto si desit consensus, erit Baptismus nullus.
Id est Religioni Christiana contrarium, ut semper invitus, & penitus contradicens ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur. Cap. Majores x de Bapt. Deberent autem compelli, si ratus esset baptismus. Parvuli alio proficiente baptizantur. Can. 72. de Conf. dist. 4. Et qui eos suscipiunt, pro eis fidejussores existunt. Can. 102. eod.
2. Ad fructum, & effectum, Baptismi consequendum necessaria est in adulto imprimis fides.
Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet &c. Act. 8. v. 36. & 37. Idem concluditur ex Trid. Sess. 6. Cap. 6. de Justif. Baptismus Ecclesia potest esse extra Ecclesiam: munus autem beatae vitae non nisi intra Ecclesiam invenitur. S. Aug. Lib. 3. de i. co Bapt.
3. Parvuli, non actu proprio credentes, baptizantur in fide Ecclesiae. Trid. Sess. 7. *Can. 13. de Bapt. Vid. Can. 128. 136. & 137. de Consecr. dist. 4.*
4. Necessaria deinde in adulto est spes. *Arg. Trid. Sess. 6. Cap. 6. cit. de Justif.* 5. Si

5. Si peccata actualia baptismum præcesserint, necessaria quoque est pœnitentia.

Fuit quidem pœnitentia univrsis hominibus, qui se mortali aliquo peccato coinquinassent, quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam, nec s̄saria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui petissent. Trid. Sess. 14. Cap. 1. de Pœnit. Consentiant Can. 94. & 95. de Consecr. Dist. 4.

4. Ab hac pœnitentia, cùm baptizantur, soli parvuli immunes sunt. Nondum enim uti possunt libero arbitrio. S. Aug. de Pœnit. Can. 94. cit.

ERROR

Eorum, qui etiam in parvulis requirunt actus credendi, & alias dispositiones; propter quam causam Anabaptistæ negant parvulos baptizandos; Lutherani verò fingunt, parvulos, dum baptizantur, credere; ut jam supra diximus.

QUÆSTIONES.

1. Quo jure Sisebutus, Rex Hispaniæ, compulerit per violentiam judæos ad suscipiendum Baptismum. Quid de hoc ejus facti senserit Concilium Toletanum IV. Can. 55. Videatur Baronius ad annum Christi 614. N. 29. & 40.

2. An, & quatenus, sic baptizati obligentur ad observantiam legis Christianæ. Vid. Tolet. IV. Can. 55. cit. & cum eo conferatur Epist. Innocentii III. ad Archiep. Arclat. Cap. 3. MAJORES de Bapt. §. penult.

SECTIO VI.

De effectu Baptismi.

DOGMATA.

1. Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ, originalis, & actualis. Concil. Florent. Nimirum

actualis, ante baptismum commissæ.

Non igitur peccatum originis per Baptismum *regitur* solum, aut *non imputatur*; sed *verò remittitur*.

2. Omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. *Ibid.*
3. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iungenda est satisfactio. *Ibid.*
4. Sed morientes antè, quàm culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum, & Dei visionem, perveniunt. *Ibid.*

Imprimi per Baptismum characterem, jam dictum suprâ de effectu Sacramentorum in genere.

Per Baptismum unâ cum gratia justificâ infundi virtutes supernas, dictum in *Tract. 4. Proleg. Dog. 2.*

Effectus, quos Heterodoxi Baptismo falsò tribuunt.

3. Baptismi effecta non sunt

1^{mo}. Ut baptizatus non possit, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet; nisi nolit credere. *Trid. Sess. 7. Can. 6. de Bap.*

2^{do}. Ut baptizati solius tantùm fidei debitores fiant, non autem universæ legis Christianæ servandæ. *Can. 7. ibid.*

3^{io}. Ut baptizati liberi sint ab omnibus Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sint; nisi se sponte suâ illis submittere voluerint. *Can. 8. ibid.*

4^{to}. Ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in ipso baptismo jam factæ, irrita esse intelligantur; quasi per ea & fidei, quam professi sunt, detrahatur, & ipsi baptismo. *Can. 9. ibid.*

5^{to}. Ut peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, solâ recordatione, & fide suscepti baptismi, vel dimittantur, vel venialia fiant. *Can. 10. ibid.*

ER-

(1) Antiquiss
de Epiphonio H
num, sed
Eodem errore
Theodoreus L
re. S. Gregori, u
hoc. xvo. Luth
artic. Calvin.
S. 10 & 11. Ph
Agg. Alii er
am, & caracte
ntiani, qui te
stino de Hares
plius peccare;
Aliorum, qui
docebant, hap
vixerint, mod
remittitur
(8.) Post
illa ipsa ve
jus tempor
nes Triden

De

Varia Bap
comitantur,
sunt, & sine
Cærimon
mano, parti

ERRORES.

(1.) Antiquissimus error fuit Origenistarum quorundam, teste Epiphanio *Heres. 46.* docentium, peccata non tolli per Baptismum, sed solùm tegi: tolli autem tandem per mortem: (2.) Eundem errorem postea resuscitârunt Messaliani, ut refert Theodoretus *Lib. 5. de fabulis Hæretic* (3.) Alii quidam tempore S. Gregorii, ut refert ipse *Lib. 9. Epist. 39.* (4.) Idem docent hoc ævo Lutherani, duce Luthero *Art. 2. & in assert. ejusdem artic.* Calvin. *in Antidoto Trid. Sess. 5., & Lib. 4. Instit. Cap. 15. §. 10. & 11.* Philip. Melancthon. *in Apologia Art. 2dæ Confess. August.* Alii errores, negantium, per Baptismum conferri gratiam, & characterem imprimi, jam supra nominati sunt (5.) Joviniani, qui teste S. Hieronymo *Lib. 2. contra Jovinian.* & Augustino *de Hæres. cap. 82.* docuit, verè baptizatum non posse amplius peccare; & si fortè peccet, non fuisse tinctum nisi aquâ. (6.) Aliorum, qui, ut refert S. Augustinus *Lib. 21. de Civit. cap. 25,* docebant, baptizatos non posse damnari, etiamsi perditissimè vixerint, modò ab Ecclesia catholica non recederent. (7.) Priorem resuscitavit Calvinus *in Antid. Trid. Sess. 7. Can. 7. de Bapt.* (8.) Posteriorem Lutherus *de Capt. Babyl. Cap. de Bapt.,* ubi habet illa ipsa verba, quæ damnat Tridentinum *Can. 6. cit.* Alios hujus temporis circa Baptismi effecta errores satis exhibent Canones Tridentini supra *Dog. 5. & seqq.* allegati.

SECTIO VII.

De ritibus, & cæremoniis Baptismi.

Varia Baptismum Cæremoniæ partim præcedunt, partim comitantur, partim sequuntur: quæ salvâ substantiâ omitti possunt, & sinè peccato in casu necessitatis omittuntur.

Cæremoniæ istæ breviter proponentur ex Rituali, partim Romano, partim Diocesano.

Vin-

Vindicandæ hæ antiquissimæ Cæremoniz erunt ; quidque significare per eas Catholica Ecclesia soleat, ex antiquorum Patrum placitis exponendum. Videatur *Distinctio 4. de Consecratione à Can. 53. sive parvuli & Cap unic. de sacra unctiōe §. 3. De Exorcismo, & quomodo in catechumeno fit, ex eoque expellatur dæmon, videri potest S. Thom. Part. 3. Q. 71. Art. 2. & 3.*

ERROR

A catholicorum hujus ævi, cæremonias has explodentium; aut Catholicis affingentium ; quòd eis remissionem peccatorum tribuant.

PARS III.
DE CONFIRMATIONE.

SECTIO I.

*Confirmatio quid sit; an Sacramentum sit,
& an necessarium.*

DOGmata.

1. Apostolis manus baptizatis imponentibus, venisse super hos Spiritum sanctum, legimus in actis Apostolorum, *cap. 8. v. 17. cap 19. v. 6.*
Descendebat nimirum signo aliquo tensilis; ut *Cap. 19. v. 6. cit. Et loquebantur linguis, & prophetabant.*
2. Ipsissimus hic ritus retinetur hodie in Ecclesia Catholica, antiquissimoque vocabulo dicitur *Confirmatio*. Olim dicebatur etiam *Manus impositio; Mysterium chrismatis, sive Sacramentum unctiōnis* latinè; *Signaculum, perfectio, consummatio, consignatio frontis, chrismatio frontis &c.*

Quam.

Quamvis in Sacramenti hujus administratione non descendat amplius Spiritus S. per signa sensilia, sed per invisibilem gratiam. Quâ de re ita S. Ambrosius Lib. de Sacram. *In principio signum debuit esse, in posterioribus perfectio. Apostolis enim Spiritus S. datus est in igneis linguis (aliis per signa alia sensibus exposita) propter incredulos (ut increduli vocarentur ad fidem) nobis autem jam in plenitudine Ecclesie, non per signa, sed per fidem, veritas est colligenda. Can. Venit Sacerdos 70. de Consec. Dist. 4.*

3. Definiri potest: Sacramentum N. L., quo baptizatis datur gratia Spiritus sancti, & robur, ad fidem Christi intrepidè profitendam.
4. Confirmatio est verum, & proprium Sacramentum. Conc. Florent. & Trid. *Sess. 7. Can. 1. de Confirm.* Veritas hujus dogmatis probabitur ex Ss. Scripturis, Conciliis, communique, & antiquissimo, utriusque Ecclesie, latinæ, & græcæ, consensu.
5. Personæ cuilibet singulari Confirmatio non est ita necessaria ad salutem, ut sinè ea haberi non possit finis. Dici tamen potest necessaria, quatenus sinè eâ finis non habetur ita convenienter. Vid. S. Thom. *P. 3. Q. 65. Art. 4.*

ERRORES.

(1) Novatiani vel negarunt, Confirmationem Sacramentum esse; vel saltem suis illud non præbebant, ut testatur Theodoretus *Lib. 3 heret. fab.* Novatum ipsum nunquam hoc Sacramentum voluisse post baptismum suscipere, scribit ex Cornelio Papa Eusebius *Lib. 6. Hist. Eccl. Cap. 33.* (2.) Donatistas etiam contumeliosos fuisse in sanctum Christum, scribit Optatus *Lib. 2. contra Parmenian.* (3.) Waldenses hoc Sacramentum rejecisse, testatur Æneas Sylvius, qui post fuit Pius II. Papa. *Lib. de Ori.*

Origine Bohemorum Cap. 35. (4.) A Wicleffo pariter unctionem Chrismatis satis aperte fuisse rejectam, tradit Thomas Waldensis *Tom. 2. de Sacram. Cap. 113.* (5.) Hujus ævi Protestantes passim omnes Confirmationem esse Sacramentum à Christo institutum, negant; concedunt tamen, fuisse olim institutam ab Ecclesia, velut examen quoddam, & Catechesin puerorum, in infantia baptizatorum; quam, ut apud Lutheranos usitata est hodie, describit Kemnitzius *Part. 2. Exam. pag. 320.* (6.) De Hales quoque vapulat, docens: *quòd Dominus neque hoc Sacramentum instituerit, neque dispensaverit, neque Apostolis; sed, quantum ad formam, & materiam elementarem, Concilium Meldense, instinctu Spiritus sancti.*

QUÆSTIONES.

1. Quando Christus instituerit hoc Sacramentum. *Videri potest fragmentum Epistola Fabiani Papæ, apud Alphonsum à Castro adversus Hæreses Lib. 4. Verbo: Confirmatio.*

2. Quid sibi velit S. Thomas, dum *P. 3. Q. 72. Art. 1. ad 1.* ait: *Dicendum, quòd Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo.*

3. Utrum Christus ex potestate excellentiæ contulerit Apostolis rem hujus Sacramenti, id est, plenitudinem Spiritus sancti, sine Sacramento; ut sentit D. Thom. *Q. 72. cit. Art. 2. ad 1.*

SECTIO II.

De materia, & forma Confirmationis.

DOGMATA.

1. Ejus materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. *Conc. Flor.*

Ex

Ex præcepto Ecclesie adhibere non licet Chrisma, nisi illo anno benedictum. *Epist. 2. Fabiani Papæ ad Episcopos Orientis.*

2. Materia proxima est impositio manûs (*Act. 8. & 19*) & unctio (*Innoc. III. Cap. un. de Sacra unct. §. 3.*) facta ab Episcopo.

3. Forma autem (in Ecclesia latina) est: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Florent. *ibid.*

Forma apud Græcos est: *Signaculum donationis Spiritûs sancti.* Quam formam refert Arcudius *Lib. 2. Cap. 6.* eamque validam esse probat *Cap. 7.* quod etiam declaravit Urbanus VIII. apud *Hilting de Sacram. N. 7*

ERROR

Novatorum, sacrum Chrisma, & ritum illud consecrandi, icidentium.

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. Quomodo materiam, & formam hujus Sacramenti determinaverit Christus, an in specie, an in genere tantum.
2. An ad materiam essentiali pertineat etiam balsamum, an sufficiat solum oleum olivatum.
3. An Apostoli usi sint solâ impositione manûs, ut sensit Scotus.
4. An unica, & sola manûs impositio fuerit olim, & nunc sit materia essentialis proxima hujus Sacramenti; an verò ad eam pertinuerit omni tempore etiam unctio chrismatis.
5. An benedictio chrismatis ab Episcopo facta sit necessaria, non tantum necessitate præcepti, sed etiam Sacramenti.
6. Utrum consecratio Chrismatis, & oleorum, delegari queat simplici Sacerdoti.

7. An in forma exprimi discretè, & apertè debeat utraque actio, signandi, & ungenti.

Ad explicandos varios Conciliorum Canones, & Ss. Patrum dicta, utile est observare, quàm variæ fuerint in prima Ecclesia *manuum impositiones*. Putà (1) ad ægros sanandos; (2) ad confirmandos baptizatos; (3) ad initiandos Ecclesiæ ministros. (4.) Ad reconciliandos hæreticos &c.

Quàm variæ item sint in Ecclesia Catholica usitatae unctio- nes; de quibus *vid. Cap. un. de S. Unctione &c.*

SECTIO III.

De Ministro Confirmationis.

DOGmata.

1. Ordinarius minister est Episcopus *Concil. Florent. & Trid. Sess. 7. Can. 3. de Confirm.*

2. Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, vel rationabili, & urgente admodum causâ, simplicem Sacerdotem chrismate, per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum. *Concil. Florent.*

Fecit B. Gregorius potestatem hanc quibusdam Presbyteris *in Epist. ad Januar. Episcop. Can. 1. dist. 95.*

ERROR

Wicleffi, si non rejicientis planè, ut quibusdam videtur, hoc Sacramentum: ejus administrationem tamen solis Episcopis propriam esse, negantis, ut liquet ex ejus

PROPOSITIONE DAMNATA.

A Concilio Constantiensi 28vâ. *Confirmatio juvenum, & Clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papa, & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.*

Eodem errore dicuntur à quibusdam laborasse Photius, Waldenses, & Hussitæ.

QUÆ.

(299)
QUÆSTIONES.

1. An alius præter Papam possit simplici Sacerdoti delegare potestatem confirmandi.

2. An abbas, cui concessum est privilegium exercendi omnia Pontificalia, præter Ss. Ordinum collationem tantum, & consecrationem altarium, & Ecclesiæ, habeat facultatem confirmandi.

3. An Episcopus sibi non subditos validè, & quo pacto licitè, possit confirmare.

4. Quid sentiendum de sententia S. Hieronymi, in Lib. contr. Luciferianos asserentis: *Esse magis propter honorem sacerdotii, quàm ex legis necessitate, decretum, ut solus Episcopus per impositionem manuum Spiritum sanctum conferat.*

SECTIO IV.

De subjecto Confirmationis capaci.

DOGMA.

Subjectum hujus Sacramenti est omnis, & solus homo vivus, baptizatus, & nondum confirmatus.

QUÆSTIONES.

1. Quâ conveniat ætate esse eos, qui ad Confirmationem admittuntur.

2. Quæ sit in Confirmando necessaria intentio, & dispositio, tum ad valorem hujus Sacramenti, tum ad percipiendum ejus fructum.

3. Quænam sint Sacramenti hujus ceremoniæ, quidque ex significant.

SECTIO V.

De effectu Confirmationis.

DOGmata.

1. Effectus hujus Sacramenti est, quòd in eo detur Spiritus

rus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Conc. Flor. Melchiales Papa; *Dist. 5. de Consecr. Can. 2.*

Ideoque in fronte, ubi verecundia sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem eius, quæ judæis est scandalum, gentibus autem stultitia: propter quod signo crucis signatur. *Concil. Flor.*

2. Imprimi hoc Sacramentum characterem indelebilem, ut supra dictum *de Sacramentis in genere.*

ERRORES.

(1.) Kemnitii, afferentis, gratiam Confirmationis adstrui à Catholicis ad baptismi injuriam. (2.) Dallæi, characterem Confirmationis inter somnia numerantis.

PARS III.

De Sacramento Eucharistia.

Cum sacratissimam Eucharistiam, & Sacramentum esse, & Sacrificium, sancta Catholica Ecclesia constanter crediderit: disputandum de ea erit, primò quatenus *Sacramentum*, deinde quatenus *Sacrificium* est.

SECTIO I.

De Sacramenti hujus veritate, & Essentia.

PRÆCOGNITA.

1. Eucharistia est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sub speciebus panis, & vini, ad spirituales animæ refectionem divinitus institutum,

2. **Varia** ejus nomina recenseri, & explicari poterunt ex D. Thom. *P. 3. Q. 73. Art. 4* & aliis, præsertim Theoph. Raynaudo *Tom. 6. Tract. 1. sect. 5.*
3. **Varia** ejus in veteri testamento figuræ peti poterunt ex eodem *Q. 73. cit. Art. 6.*

DOGmata.

1. **S. Eucharistia** est verum Sacramentum, à Christo Domino in última cœna institutum.
De hoc quidem dogmate consentientes habemus hodie omnes Christianos.
2. In almo S. Eucharistiæ Sacramento, post panis, & vini consecrationem, Dominus noster JESUS Christus, verus Deus, atque homo, verè, realiter, ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilibum continetur. *Trid. Sess. 19 Cap. 1. de Euchar. & Can. 1.*
3. Non autem tantummodo est in eo, ut in signo, vel figurâ, aut virtute. *Ibid.*
4. Multis in locis Sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adest, eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ assequi possumus, & constantissimè credere debemus. *Trid. cap. 1. cit.*
5. Statim post consecrationem Corpus, & Sanguis Domini nostri JESU Christi, non tantum in usu, dum sumitur, sed etiam ante, & post, in hostiis, seu particulis,

ticulis, quæ post communionem reservantur, præ-
sens est. Trid. *ibid. cap. 3. & can. 4.*

Ex quo sequitur, S. Eucharistiam non esse, instar aliorum,
Sacramentum *transiens*, sed *permanens*.

6. Totus, & integer Christus sub panis specie, & sub
quavis speciei ejus parte, totus item sub vini specie,
& sub ejus partibus, existit. Trid. *cap. 3. cit. &*
CAN. 3.

Corpus quidem sub specie panis, & sanguis sub vini specie,
ex vi verborum; ipsum autem corpus sub specie vini, & san-
guis sub specie panis, animaque, & Divinitas, sub utraque,
vi connexionis, & concomitantia; ut explicat Trid. *Cap. 3. cit.*

7. Non remanet in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento
substantia panis, & vini, unà cum corpore, & san-
guine D. N. JESU Christi. Sed fit mirabilis, & sin-
gularis conversio totius substantiæ vini in sangui-
nem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini.
8. Quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime
Transubstantiationem appellat. Florent, & Trid.
Sess. cit. cap. 4. & can. 2.

ERRORES.

(1) Priscorum quorundam, qui negabant, S. Eucharistiam
esse Sacramentum, dicentes, vel nullum, vel solum Baptismum,
esse Sacramentum. Ab ubi quitariis quoque, si non verbis, reip-
sâ tamen, tolli hoc Sacramentum, ostendit Bellarminus *Lib. 3. de*
Euchar. Cap. 17. (2.) Sacramentariorum. Quo nomine com-
prehenduntur omnes, quotquot tam priscis, quàm sequioribus
temporibus, negârunt veram Christi Domini in Eucharistia præ-
sentiam; asserentes, in ea non esse nisi panem, & vinum, velut

sym-

symbola corporis, & sanguinis Christi. Horum Catalogum à
 Berengario usque ad suam ætatem percenset Bellarminus *Lib. 1.
 de Euchar. cap. 1.* Eorum doctrinam hodie amplectuntur maximè
 Zvingliani, & Calviniani. (3.) Impanatores afferunt,
 Corpus, & Sanguinem Christi esse in S. Eucharistia unà cum
 pane, & vino. Fuere autem impanatores (a.) Berengarius, qui
 post retractatum priorem suum errorem docuit, verum panem,
 & vinum, simul cum vero corpore, & sanguine Christi, in Eu-
 charistia consistere, ut refert Guitmundus *L. 1. §. 2.* (b.) Alii
 quidam, ut testatur idem Guitmundus *ibid.*, volebant, eam pa-
 nis partem, quæ à piis sumenda sit, verti per consecrationem in
 corpus Domini; quæ verò ab impiis, non converti. (c.) Duran-
 dus, *in 4. Dist. 11. Q. 3.* afferens, solam materiam panis, (d.) Alii
 verò, afferentes, solam ejus formam remanere, ut refert S. Thom.
P. 3. Q. 75. Art. 6. (e.) Rupertus Tuitiensis *Lib. 6. in Joan. & Lib.
 2. Cap. 2. de divinis offic.* docens, quòd, sicut Verbum per incar-
 nationem factus est homo, non destruendo, vel mutando, sed
 assumendo personaliter humanitatem, ita per consecrationem
 Verbum fieri panem, non destruendo, vel mutando, sed assumen-
 do, personaliter panem. (f.) Joannes quidam Parisiensis, qui,
 teste Thomà Waldensi *Tom. 2. de Sacram. Cap. 65.*, docuit, panem
 assumi à Verbo mediante corpore, corpus accipiendo pro parte
 hominis, non ut accipitur pro toto homine. (g.) Lutherus, qui
Lib. de Captivitat. Babylon. Cap. de Eucharistia docet, articulum
 fidei non esse, utrum panis maneat, vel non maneat; sibi verò
 probabilius, & conformius scripturis videri, quòd panis maneat.
 Circa modum autem, quo panis sit verè corpus Christi, explican-
 dū sibi non consentit. Nam *Lib. cit.* ait, id verum esse, propter unio-
 nem panis cum corpore. Sed in Libro, qui inscribitur: *Confessio
 Mart. Lutheri de Cæna Domini*, rem aliter explicat, & dicit, Corpus
 Domini per unionem Verbi id assequi, ut sit ubique; ac proinde
 etiam in pane Cœnæ Domini. Quam postremam ejus doctrinam

secuti sunt Lutherani plerique. (4) Ejusdem Lutheri, & Calvini, docentium, S. Eucharistiam in ipsa tantum sumptione esse Sacramentum; sicut aqua baptismi tunc tantum est Sacramentum, cum abluit. Cum hoc discrimine, quod Calvinus contendat, tum solum panem, & vinum esse Sacramentum; Lutherani verò profiteantur, Christum etiam esse in sumptione, & usu S. Eucharistiae præsentem, non antè, nec post.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

In Concilio Constantiensi Sess. 45., Wicleffi ima: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in Sacramento altaris.*

2da. *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.*

3cia. *Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realiter, propriâ præsentia corporali.*

QUÆSTIONES.

1. An vera, & realis Christi præsentia rectè demonstratur ex Joam. 6, v. 56.

2. An veteres scholæ Magistri, Durandus, Occam, Camera- centis, Scotus, aliique, negantes, destructionem panis evidenter probari ex his verbis: *Hoc est corpus meum*, ut jacent, & si non existeret alia declaratio S. Ecclesiæ; faveant propterea Lutheranis, negantibus, *Transubstantiationem* esse articulum Fidei, ut contendit Kemnitius.

2. Utrùm ex eo, quod quidam Doctores Catholici olim defenderint impanationem, sequatur, *Transubstantiationem* non fuisse articulum Fidei ante Concilium Lateranense sub Innoc.

III. *Cap. Firmiter de Summa Trinitate.*

Scotus in 4. Dist. 21. Q. 3. Non asserit, *Transubstantiationem* non fuisse dogma fidei ante Concilium Lateran. (in quo Scoti assertio te fundat Bajerus Lutheranus, Doctor Jenensis) sed §. *Est tunc ad tertium, hæc dicit: Et breviter, quid*

quid ibi (Cap. Firmiter,) dicitur esse credendum, tenendum est, esse de substantia fidei: & hoc post istam declarationem solennem factam ab Ecclesia. Propterea tamen non asserit, ante Lateranensis definitionem non constituisse in Ecclesia de hac veritate. Imò potius pro ea allegat alias antiquiores Lateranensi auctoritates ex *Dist. 2. de Consecr.*, & ex Magistro Sententiarum.

4. An Eugenius IV. Papa, in Concilii Florent. Decreto ad Armenos dicens: *Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem, CONVERTUNTUR.* Transubstantiationem censerì possit omisisse in gratiam Armenorum unitorum; quasi hac in re, salvâ fide, & unione, dissentire à latinis possent.

5. An Gelasius Papa fuerit impanator, dum in *Libello de duabus naturis in Christo contra Eutych. & Nestor.* sic scripsit: *Sacramenta, que sumimus, corporis, & sanguinis Christi, divina res est: propter quod, & per eadem divina efficimur consortes nature. ET TAMEN NON ESSE DESINIT SUBSTANTIA, VEL NATURA PANIS, ET VINI.*

6. An panis, & vini substantia per transubstantiationem annihilatur, an verò convertatur. Vid. S. Thom. *P. 3. Q. 75. Art. 3. & 4.*

7. An Ecclesia aliquid definiarit circa naturam specierum remanentium, utrum sint *accidens absolutum peripateticum*, an verò *mere apparentie*.

8. An Sacramentum Eucharistiæ sub duplici specie sit unum, an duo Sacramenta. Hoc paucis.

9. Utrum, quando in hoc Sacramento apparet miraculosè caro, sanguis, vel puer, sit ibi verè corpus Christi. Vid. S. Thom. *P. 3. Q. 76. Art. 2.*

10. Utrum quantitas dimensiva panis, & vini, sit aliorum accidentium subjectum. Vid. S. Thom. *Q. 77. Art. 1. & 2.*

Aut, si tempus videatur nimis angustum, poterit Professor auditors ad hunc D. Thomæ locum remittere.

SECTIO II.

*De Materia, & Forma Eucharistiae,
ejusque effectu.*

DOGMATA.

1. Materia remota est panis triticeus, & vinum de vite.
Conc. Flor. *in decreto de unione Armenorum.*
2. Sive in azymo, sive fermentato, pane triticeo, corpus Christi veraciter conficitur. Idem Florent. *in decret. de unione Graecorum.*

Disciplina 1. Sacerdotes in altero ipsum Domini corpus conficere debent; unusquisque scilicet juxta suae Ecclesiae, sive occidentalis, sive orientalis, consuetudinem. *Idem ibidem.*

2. Vino ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Florent. *in decret. ad Arm.* ubi tres ejus ritus causas adducit: quia Christus in vino aqua mixto creditur hoc Sacramentum instituisse; quia convenit Dominicae passionis representationi; quia significat unionem populi Christiani ad Christum.
3. Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Florent. *ibid.*

Forma primae consecrationis est haec: *Hoc est Corpus meum.*
Secunda haec: *Hic est Calix sanguinis mei.*

4. Quaelibet istarum sortitur suum effectum seorsim ab alia.
Quem ex Tridentino designavimus *sect. preced. post Dogma 1.*

ERRORES

Circa materiam Eucharistiae errarunt (1.) Novatiani asserentes,

rentes, ex pane nullo modo confici posse Corpus Christi, ut refert Alphonsus à Castro *Lib. 6. adv. Hæres. verbo: Eucharistia, Hæ. 1.* (2.) Manichæi, qui indignissimis modis mixtam farinam adhibebant, non tam ad Sacramentum, quam veriùs excræmentum; ut ait S. August., *Lib. de Hæres. Cap. 46.* Idem non utobantur ad hoc Sacramentum vino, quippe, quod dicerent esse fel draconum. S. Aug. *ibid.* (3.) Græci, & Armeni, qui negant, posse hoc Sacramentum confici in pane azymo, ac propterea Latinos azymitas, & hæreticos, appellant. (4.) Aquarii, qui pro consecratione calicis, non vinum, sed solam aquam, dicebant debere apponi. De quibus S. August., *de Hæres. Cap. 64.* (5.) Armeni negant admiscendam calici aquam. Hodierni Lutherani, & Calviniani, perinde sufficere ajunt azymum, & fermentatum. Calviniani plerumque fermentato; Lutherani alibi fermentato, alibi azymo, utuntur. (6.) Alii lac pro vino in divinis Sacrificiis dedicabant; ut refertur *Can. Cùm omne. 7. Diff. 2. de Consecr.* ubi & alii errores, & abusus percensentur, & damnantur. Adde Canonem: *Didicimus. 6. Eâd.* (7.) Beza, pane, & vino deficiente, alium cibum, & potum suffici posse, docuit.

Circa formam consecrationis primus error est Dallæi, & aliorum, verba institutionis Christi ad consecrationem pertinere, negantium; sed assèrentium, sufficere, si frangatur panis, & manducetur. Cujus erroris meminit Kemnitius *Part. 3. Exam. Trid. Sess. 13. cap. 1.* (2.) Calvinii *Lib. 4. Inst. Cap. 17. §. 29*, ubi docet, verba institutionis referri quidem debere; sed per modum concionis, non consecrationis. (3.) Variæ heterodoxorum, vel expositiones, vel depravationes, horum verborum: *Hoc est corpus meum*, videri poterunt apud Bellarminum *Lib. 1. de Euchar. Cap. 8.* (4.) Græcorum, qui existimant, hoc Sacramentum confici non posse sine his verbis: *Fiat hic panis corpus Christi, & hoc vinum sanguis Christi.*

QUÆSTIONES.

1. An Christus Dominus, Sacramentum hoc instituens, pane azymo usus sit, an fermentato.

De quæstione hac, quæ plurimum valet ad refellendos Græcos, videri potest Bellarminus *Lib. 4. de Euchar. Cap. 7. 8. & 9.* & Salmeron.

2. An aqua, sacro calici admixta, etiam consecretur, & transubstantietur; quamvis fortè non convertatur prius in vinum.

Quod postremum an fieri possit, necne; discutiendum relinquetur Physicæ.

3. An vinum, speciebus vini consecratis admixtum, transubstantietur.

4. Quomodo intelligendi quidam Ss. Patres, dicentes, Eucharistiam confici *prece, invocatione, gratiarum actione.*

5. Quænam sint partes, essentiam S. Eucharistiæ, tam *in fieri, ut vocant, quàm in facto esse, constituentes; disputabitur paucis.*

OMITTENDUM.

Utrùm actio, per quam ponitur Christus in Eucharistia, sit *creativa, an productiva, an adductiva.*

De ejusmodi quæstionibus sapienter Vasquez P. 3. Q. 76. Disp. 181. Cap. 1. *Recentiores Scholastici, quò magis ab us se extricare conantur, eò majoribus se difficultatibus implicarunt &c. &c.*

SECTIO III.

De Ministro S. Eucharistiæ.

DOGmata.

1. Minister principalis S. Eucharistiæ est Christus Dominus.

2. Secundarius S. Eucharistiæ conficiendæ minister est solus Sacerdos, ritè ordinatus ex institutione Christi.

sti. Arg. Conc. Flor. *decret. de Arm.* Videri etiam potest S. Thom. *P. 3. Q. 82. Art. 1.*

3. Etiam malus, hæreticus, schismaticus, excommunicatus, & degradatus. Vid. S. Thom. *ibid. Art. 3.*

Quamvis talis, S. Eucharistiam extra necessitatem conficiens, gravissimè peccet. Et si quis ejusmodi in necessitatis casu id fecerit sine præviâ confessione, debet, ex Concilii Tridentini decreto *Sess. 13. Cap. 7.*, quam primum confiteri.

4. S. Eucharistiæ distribuendæ minister ordinarius est Sacerdos. Conc. Rhem. *Can. 2.*, qui refertur Dist. 2. de Consecr. *Pervenit ad notitiam.*

Diaconus tamen in necessitate potest, jubente Episcopo, vel Presbytero, dispensare corpus Christi. S. Thom. *Q. 82. cit. Art. 3. ad 1.* Sacrum Christi sanguinem passim distribuiebant olim Diaconi. S. Thom. *ibid.*

ERRORES.

(1.) Pepusiani contendebant, mulieres posse initiari sacerdotio, & conficere S. Eucharistiam, ut testatur S. August. *Lib. de Hæres. C. 27.* (2.) Wicleffus, teste Thoma Waldenti *Tom. 2. de Sacram. Cap. 7. & 28.* vocabat in dæbium, an solus Sacerdos sit S. Eucharistiæ consecrandæ minister: videbatur enim ei valde mirum, si posset malus Sacerdos consecrare Eucharistiam, & id non posset laicus bonus. (3.) Lutherus *Lib. de Captivitat. Babyl. Cap. 8. de Ordine*, & alibi, apertè docet, quemlibet Christianum ex baptismo habere potestatem consecrandi Eucharistiam: longius etiam progressus est, ut jam notatum est suprà *de Ministro Sacramentorum in genere.* (4.) Janseniani quidam passim omnibus, & mulierculis, largiuntur potestatem consecrandi, & sacrificandi, unà cum Sacerdote.

PRO.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Ab Alexand. VII. 38va. *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti, sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.*

39na. *Illâ particula, QUAMPRIMUM, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitetur.*

QUÆSTIONES.

1. An diaconi orthodoxi sibi arrogaverint aliquando potestatem consecrandi Eucharistiam.

2. An hodie liceat laico, citra dispensationem summi Pontificis, sibi ipsi, vel aliis, ministrare Eucharistiam in casu necessitatis.

3. Utrum Sacerdotes, cum de novo ordinantur, concelebrant Episcopo ordinanti. Vid. S. Thom. *2. 82. cit. Art. 2.*

Perantiquum hunc concelebrationis ritum eleganter deduxit Dominicus Georgii Italus *Tom. 3. de Liturg. Rom. Pontif.*

4. Utrum ministrans Eucharistiam in statu peccati gravis peccet graviter.

5. Utrum liceat à Sacerdote impio, vel excommunicato, vel hæretico, S. Communionem accipere.

SECTIO IV.

De subjecto Eucharistia, ejusque dispositione.

DOGMATA.

1. Subjectum, S. Eucharistiæ capax, est quivis baptizatus.

Olim infantibus statim post baptismum dabatur S. Eucharistia; verum in Ecclesia latina inde à Sæculo XII. id non fit amplius.

2. Ut ab adultis suscipiatur cum fructu, non satis est fides, quâ certò credat quis, sibi in eo Sacramento omnia peccata esse remittenda. *Trid. Sess. 13. can. ult.*

3. Qui-

3. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini, indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini.... judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. *1. Cor. 11. v. 27. & 29.*
4. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Ibid. v. 28.*
5. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur esse, absque præmissâ sacramentali confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat, *Trid. Sess. 13. Cap. 7. & Can. ult.*

Modò non desit illis copia confessoris, ut addit *Trid. ibid. Disciplina.* Extra necessitatis casum S. Eucharistia non nisi à jejunis sumenda est: *Can. Sacramenta altaris, 49. Dist. 1. de Consecr. & Can. Liquidò apparet 54. Dist. 2. ibid.*

ERRORES

(1.) Priscorum quorundam, qui mortuis præbebant S. Eucharistiam. (2.) Lutheri, negantis, ad dignam præparationem communionis esse necessarium, ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis. Imò in *Lib. de Captivitate Babyl. Cap. de Euchar.* ait, solos illos dignè communicare, *qui tristes, afflictas, perturbatas, & confusas, & erroneas, habent conscientias.* Et securè accedere eum, *quicumque peccatorum suorum vexatur, sive morsu, sive titillatione.* In Concione de Euchar. habitâ anno 1518. *Optima, inquit, dispositio est non nisi ea, quâ pessimè es dispositus. Et è contrario tunc pessimè es dispositus, quando optimè es dispositus.* (3.) Eiusdem Lutheri, docentis, ad præparationem dignam Eucharistiae

ristiæ sufficere fidem, quâ certò quis credat, sibi in eo Sacramento omnia peccata esse remittenda. (4.) Aliorum, quos reprehendit Calvinus *Lib. 4. Inst. Cap. 17. §. 42*; quòd requirant fidem, & charitatem, nimis perfectam, & absolutam, cui nihil addi possit. Hi putantur esse Anabaptistæ: De iis enim testatur Martloratus in *Exposit. Cap. 11. Cor.*, quòd communicaturi protestentur, se habere tantam charitatem, quantam habuit Christus è cruce pendens.

QUÆSTIONES.

1. An Christus ipse sumpserit aliquando S. Eucharistiam. S. Thom. *P. 3. Q. 81. Art. 1.*
2. Quo sensu procedat illud Innoc. III. in *Cap. 3. de Presbyt. non baptiz. Et Sacramentum conjugii & Eucharistia, à non baptizatis recipi potest.*
3. Quo jure, divino, an ecclesiastico, sumptioni sacrae Eucharistiæ debeat peccati gravis sibi conscius præmittere Sacramentum poenitentia, si habeat confitendi copiam.

Cætera, ad hunc locum spectantia, relinquuntur Professori Theologiæ moralis.

SECTIO V.

De S. Eucharistia effectus.

DOGMATA.

1. Præcipuus S. Eucharistiæ fructus non est remissio peccatorum. *Trid. Sess. 13. Can. 5.* Sed
2. Effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum, per augmentum gratiæ: omnemque effectum, quem materialis cibus, & potus, quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem & hoc Sacramentum operatur. *Concil. Flor. decret. pro Armen.*

3, Est

Est cibus
peccatis q
riæ; est sy
caput ex

(1.) Luther
inis Tridem.
tiæ esse remi
non negare
ali *Lib. 4. Inst.*
simam incid
na præcipiat:
dignam præp
tiæ definiant,
mè profiterur,
peccata adlin
charitiam n
soli corporis
poribus relin

1. An S. E
mittat pecca
2. An dire
3. An debi
4. Utrum h
quo S. Thom.

2. Est *cibus* animæ, & antidotum, quo liberemur à peccatis quotidianis; est pignus futuræ nostræ gloriæ; est symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit. *Trid. Sess. 13. Cap. 2. de Euchar.*

ERRORES.

(1.) Lutheranorum, docentium cum Kemnitio *Part. 2. Examinis Trident. Sess. 13. Cap. 2. & 7.*, effectum primarium Eucharistiæ esse remissionem peccatorum mortalium. Quamvis dicat, se non negare alios etiam effectus Eucharistiæ. Calvinus item, *ctli Lib. 4. Instit. Cap. 17. §. 40.* dixisset: *Cibus hic spiritualis, si in animam incidit, malitiâ, nequitiâque pollutam, majore illum ruinâ precipitat:* tamen §. 41. reprehendit Catholicos, quod ad dignam præparationem requirant statum gratiæ, & statum gratiæ definiant, purgatum esse omni peccato: & §. 42. apertissimè profitetur, Eucharistiam remittere peccata mortalia, & nisi peccata adsint, frustra sumi. (2.) Messaliani sentiebant, S. Eucharistiam nec prodesse animæ, nec obesse: Armeni, prodesse soli corporis saluti, non animæ. Tanquelinus posterioribus temporibus resuscitavit errorem Messalianorum.

QUÆSTIONES.

1. An S. Eucharistia aliquando, *per accidens, & indirectò,* remittat peccata mortalia.
2. An *directò, & per se,* deleat venialia.
3. An debita peccatis pœna remittatur per eam tota.
4. Utrùm hoc Sacramentum profit alii, quàm sumentis. De quo S. Thom. *2. 79. Art. 7.*

R r

1. Quo

SECTIO VI.

De usu Eucharistiae, & ejus sumendae praecepto.

DOGMATA, & DISCIPLINA.

1. Quoad usum rectè, & sapienter Patres nostri tres rationes, hoc Sacramentum accipiendi, distinxerunt.

Quosdam enim docuerunt *sacramentaliter* duntaxat id sumere, ut peccatores.

Alios tantum *spiritualiter*, illos nimirum, qui voto propositum illum panem edentes, fide vivâ, quæ per charitatem operatur, fructum ejus, & utilitatem sentiunt.

Tertios porro *sacramentaliter simul, & spiritualiter*. Hi autem sunt, qui ita se prius probant, & instruunt; ut vestem nuptialem induiti ad divinam hanc mentam accedant. *Trid. Sess. 13. Cap. ult. de Euchar.*

2. Adultis Christianis omnibus jure divino præceptum est sumere aliquoties per vitam S. Eucharistiam.

Arg. ex verbis Christi: *Accipite, & manducate &c. Et. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joan. 6. v. 84.*

3. Tempus non differendæ ultra annum, & in festo Paschatis quot annis sumendæ, S. Eucharistiae, determinavit Ecclesia, *Cap. Omnis utriusque sexus, 12. de pœnit. & remiss. & Trid. Sess. 13. Can. 9.*

Primis Ecclesie temporibus debebant omnes Sacrificio Missae praesentes communicare, vel carere Ecclesiasticis liminibus. *Can. Peracta 10. Dist. 2. de Consecr.* Post statutum fuit, ut, si non frequentius, saltem ter in anno communicarent omnes: nempe in Pascha, & Pentecoste, & Natali Domini. *Can. 16. 19. 21. Dist. eadem.* Demum in Concilio Later. & Trid. praecipuum, ut saltem semel in anno, idque circa Pascha, ad divinam mensam omnes accederent.

4. Non tamen propterea vetita est frequens communicatio.

Sed potius Concilium Tridentinum *Sess. 13. Cap. ult.* ita loquitur: *Demum vero paterno affectu admonet sancta Synodus, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri, ut omnes, & singuli, qui Christiano nomine censentur... hac sacra Mysteria Corporis, & Sanguinis ejus, eam fidei constantia, & firmitate, eam animi devotione, eam pietate, & cultu credant, & veneratione, ut panem illum substantialem FREQUENTER suscipere possint &c.* Et *Sess. 22. Cap. 6.* optaret, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione, communicarent.

5. Quotidie Eucharistiae communionem accipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor; si tamen mens in affectu peccandi non sit: ait S. Augustinus relat. *Can. Quotidie 13. Dist. 2. de Consecr.*

6. Sacerdotibus praecipuum, ut, quoties Missam celebrant, toties sacram Communionem percipiant. *Can. Relatum est. 11. Ibid.*

7. Et quidem sub utraque specie. *Can. Comperimus 12. Ibid.*

8. At verò laici, & clerici non consecrantes, nullo divino præcepto obligantur ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum. *Trid. Sess 21. Cap. 1.*
9. Neque ullo pacto, salvâ fide, dubitari potest, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat. *Ibid.*
10. S. Mater Ecclesia, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, gravibus, & justis causis adducta, hanc consuetudinem, sub altera specie communicandi, approbavit, & pro lege habendam decrevit. *Ibid. Cap. 2.*
11. Parvuli, usu rationis carentes, nullâ obligantur necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem. *Ibid. Cap. 4.*

ERRORES.

(1.) Græcorum, qui contendunt, Eucharistiâ necessariò sumendam sub utraque specie. Hæc eodem errore imbutos fuisse Bohemos à Petro Dresensi, testatur Æneas Sylvius *de origine Bohemorum Cap. 35.* Eundem errorem adoptavit postea Lutherus, & cum eo Protestantes hujus ævi omnes. (2.) Quorundam rigidorum, frequentem communionem sugillantium; eamque nimium avarè concedentium. (3.) Quorundam aliorum, infantibus Communionem ad salutem necessariam esse, asserentium.

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Innoc. XI. *Præcepto communionis annua satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

QUÆ.

QUÆSTIONES.

1. Quænam fuerit diversis temporibus disciplina Ecclesiæ circa communionem sub una, vel utraque specie.
2. An, & quibusnam laicis, permitti possit communio quotidiana.

Normæ instar sit decretum Innocentii XI. datum Romæ 2dâ Febr. 1679

SECTIO VII.

De asservatione, & adoratione S. Eucharistiæ.

DOGMATA.

1. Consuetudo asservandi in sacrario S. Eucharistiam adeò antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Conc. Trid. *Sess. 12. Cap. 6. & Can. 7.*
2. Porrò deferri sacram Eucharistiam, etiam ad infirmos, & ad hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quòd cum summâ æquitate, & ratione conjunctum est; tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetustissimò Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Trid. *Cap. 6. cit. Et Canon. Presbyter. 93. Dist. 2. de Consecr.*
3. Christus, unigenitus Dei Filius, in sancto Eucharistiæ Sacramento est cultu latriæ, etiam externo, adorandus. Trid. *Sess. 13 Can. 6.*
4. Meritò etiam peculiari celebritate colitur, in processionibus secundùm laudabilem, & universalem Ecclesiæ

clesiæ sanctæ consuetudinem circumgestatur; publice, ut adoretur, populo proponitur; neque ejus adoratores sunt idololatræ. *Trid. Can. 6. cit.*

ERROR

1. Omnium Protestantium, adorationem S. Eucharistiæ idololatræ insimulantium; idque ex eo capite, quòd Christum, vel non nisi in usu, vel planè non in Eucharistia, præsentem esse, sentiant.

Quæstionum Theologicarum loco explicari poterit ex historia Ecclesiastica; quænam fuerit disciplina præscæ Ecclesiæ Christianæ, laicis permittentis, sacram Eucharistiam domum secum reverenter asportare; eam nonnunquam peregrè mittentis in signum communionis in fide. Quæ sit origo solennitatis Corporis Christi &c.

SECTIO VIII.

De S. Eucharistia, ut est Sacrificium.

DOGMATA.

1. Sacra Eucharistia non solum Sacramentum est, sed etiam verum, & proprium Sacrificium, per varias sacrificiorum, naturæ, & legis, tempore, similitudines figuratum. *Trid. Sess. 22. Cap. 1. & Can. 1.*
2. Christus Dominus hoc dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, reliquit Sacrificium, quo cruentum illud; semel in cruce peractum, repræsentaretur. *Trid. Cap. 1. cit.*
3. In divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur,

latur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. *Cap. 2. ibid.*

4. Cujus quidem oblationis cruentæ fructus cum per hanc incruentam uberrimè percipiuntur, tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. *Cap. 2. cit. & Can. 4.*
5. Sacrificium istud verè *propitiatorium* est. Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit. *Ibid. & Cap. 6.*
6. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè offertur. *Ibid. & Can. 3.*
7. Quamvis in honorem Sanctorum Missas celebrare Ecclesia consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli. *Cap. 3. ibid. & Can. 5.*
8. Cum sanctè sancta administrari conveniat, Ecclesia Canonem multis antè sæculis instituit, omni errore purum. *Cap. 4. ibid.* Cæremonias quoque adhibuit ex Apostolica disciplina, & traditione, quò & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & fidelium foveretur religio, & pietas. *Cap. 5. ibid. & Can. 6. & 7.*
9. Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, & illicitas, non damnat

Ecclesia, sed probat. *Cap. 6. ibid. & Can. 8.*
 16. Cùm una eadẽque sit hostia, idem nunc offerens
 Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce
 obtulit: solã offerendi ratione diversã; ut ait Trid.
Cap. 2. cit.

*Sequitur, eundem hujus Sacrificii valorem esse, qui est mortis
 Christi. Quamvis ejus fructus applicetur fidelibus modo
 finito, pro dispositione cujuslibet.*

ERRORES.

(1.) Wicleffi, negantis, esse fundatum in Evangelio, quòd
 Christus Missam ordinaverit. (2.) Lutheri, & Calvini, asseren-
 tium, Missam non esse Sacrificium, imò nec opus bonum, sed
 idololatriam; non posse eam offerri pro peccatis; nec vivis eam
 prodesse, nec defunctis. (3.) Alii Sacrificium Missæ non in no-
 va immolatione, sed nudã immolationis semel factæ rememo-
 ratione posuerunt. (4.) Sunt alii plures errores, qui ad Missæ ce-
 lebrationem pertinere videntur. Sed horum jam suprà facta est
 mentio de Eucharistia, ut Sacramento.

PROPOSITIO DAMNATA.

Baji 45ta. *Sacrificium Missæ non aliã ratione est Sacrificium,
 quàm generali illã, quã omne opus, quod fit, ut sanctã societate Deo
 homo inhereat.*

QUÆSTIONES, & PROBLEMATA.

1. In quo posita sit essentia Sacrificii Missæ.
 2. An rectè dicatur, quòd sacrificium Missæ operetur suum
 effectum ex opere operato.
 3. An infallibiliter operetur suos effectus.
 4. Quomodo profit animabus in igne purgante.
- Cætera de Sacrificio Missæ remittentur ad Theologiam
 moralem.

TRA-